DA DOMINE INCREMENTVM!

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ADSTRICTIONE ALVI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

IVSSV ET AVTORITATE

ILLVSTRIS ET GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS IN INCLVTA ACADEMIA SALANA,

PRÆSIDE

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

HEREDITARIO in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORE, COMITE PALATINO CÆSAREO, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARIO ET ARCHIATRO, THEORETICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, h. t. FACVLTATIS MEDICÆ DECANO,

Patrono, Præceptore ac Promotore suo Patris loco sancte colendo,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Salutari Honores, Insignia ac Priuilegia DOCTORALIA, MORE MAIORVM, legitime capessendi,

publico Eruditorum Examini exposita

a

CÆLESTINO AMANDO PRINTZ, Budissa-Lusato,

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante & post meridiem consuetis,

Ad diem Iul. A. cIɔ Iɔcc x.

IENÆ, LITTERIS CHRISTOPHORI KREBSII.

DEO.

SACRVM.
PATRIÆ.
DICATVM.
SALVTI.
CONCINNATVM.
MVSIS.
GRATVM.

IN NOMINE IESV.

PROOEMIVM.

NVllibi magis Laxum & Strictum, Methodicæ olim ſectæ pro regula vniuerſali habitum, ad oculum quaſi patet, quam in excretione naturali, cum humorum per varios ductus, tum mollium & fluidorum, per excretoria & emunctoria corporis, non minus magnæ vtilitatis quam inuictæ neceſſitatis actione.

Redit ad hanc alui actionem, vt taceamus reliquas, etſi non complementum, omnino tamen magna pars ſanitatis machinæ humanæ, vt congruo tempore & ad naturæ ductum contemperata deponantur, quæcunque per multiformes inteſtinorum ductus prouoluta, iamdum in colatoriis atque cribris ſuis vel quaſi dimiſerunt partes vtiles, vlterius retenta moræ vitio noxam hoſpitio ſuo illatura.

Si qua igitur facta vel futura ſit obſtructio, tunc ſane quam quod maxime neceſſarium eſt, vt conſtipationi tollendæ impigram manum adhibeat medi-

cus, laudem quippe ex eo non infimam consecuturus, si ex iis, quæ πρὸς τὴν κοιλίας λύσιν inseruiunt, secundum artis methodum applicatis, valetudinem commodam denuo consequatur æger.

Laxum & Strictum hoc curatius disquirere, sicut vtilitatem spondet eximiam; ita, Gratiosæ Facultatis Medicæ iussu, in eo periclitari vires loco Inauguralis Speciminis aggredimur. Hoc omne vt eueniat feliciter, deuote supremum numen exoramus!

CAPVT I.

De Definitione.

MInus necessarium cum videatur, plurima, quæ sub adstringendi notione veniunt, exquisita digressione exponere; in hac tractatione selegimus aluum, operosam illam in euacuatione partium, nutriendo corpori minus assimilandarum crassiorum, quatenus in ea functione moram nectit, vel naturæ legibus adstringi amplius vel aliquandiu detrectat, vt hinc meatibus occlusis adstricta mereatur appellari.

Idem notant, qui aluum *duram* & *siccam* reddunt, præeunte *Hippocrate*, citante κοιλίας σκληρας, *3. aph. 5.* & κοιλίας ξηρας, *2. aph. 20.* & *53.* ratione habita fecum deponendarum, quæ liquore ad profluuium suum necessario non imbutæ, vel madore rursus exutæ desiccantur, inque cellulis intestinorum hærentes, restitantes, vel infixæ quasi, subinde magis indu-

ran-

rantur, vt non modo difficilis aluus, verum etiam plane obstructa consequatur.

Meminit etiam *Hippocrates* non vno loco κοιλίας ἐπιςάσης, *alui suppressæ*, quo, & adstrictæ, vel contractæ nomine & *Celso* venit, ad differentiam, *eiusdem* verbis, resolutæ, vel fusæ; ςάσιν item κοιλίας, *alui suppressionem* vocat. Nuncupatur quoque Oppilatio, quod, vt in alui fluxu mucus intestinorum domesticus abraditur vlceratione consequa, ita contra ea in hoc affectu feces diutius, quam par erat, retinentur, inspissantur, infarciuntur, condensantur, maximo nisu deinceps eliminandæ; in qua oppilatione tollenda, atque reserandis meatibus, naturæ ministrum medicum diligenter occupari fas est.

Definiri potest Alvi Adstrictio, quod sit Cessatio præternaturalis euacuationis scybalorum alui, ab elatere intestinorum spirali vndecunque impedito orta, plurium symptomatum cohortem inuitans.

Symptoma sistimus ex Classe τῶν ἐκκρινομένων, seu *excernendorum* retentorum. Licet enim fieri fere non possit, quin alterentur seu mutentur qualitates obiecti; licet etiam vitium in actione isthac naturali sit agnoscendum; a potiori tamen merito fit denominatio, atque sic GENVS constituit cessatio præternaturalis. Sub hac tam omnimodam excretionis ablationem ac suppressionem, quam eiusdem imminutionem comprehendere constitutum est, si nempe aluus vel penitus constipetur, vel per purgatoria sua minus debito reddat, ac non sine magno conatu, seu intercedente longiori interuallo consuetas feces vix & tardius, vel ægre deponat.

Reliqua DIFFERENTIAM determinant, (1) ab obiecto, cuius vice funguntur recrementa illa alimentorum, exuta & emulcta viribus suis ad alendum corpus appositis, per tortuosos meatus versus inferiora detrusa, a vitali communione,

saltim in futurum, exclusa, & per omnimodam secretionem plane excludenda. Hæc recrementa feces dicere consueuere medicorum filii, stercora item communiter atque scybala, eorumque euacuationem impeditam magni fore momenti, ex rei scrutinio elucet.

(2.) A causa materiali, quam etiam obiectum fecimus. Fieri enim potest, vt exigua quantitate sua stimulare exitum & dimissionem nequeat, vel, qualitate incongrua sibimet inducta, oneri sit partibus continentibus, viscidītate & glutinositate sua quasi tenaculis remoram patiatur, atque ita afflicto superaddat afflictionem.

(3.) A causa formali dimittente, plexibus puta intestinorum, quos omnes peruios esse decet, nec a morbo grauiore vel diuturno debilitatos, verum robore naturæ integro sibi perpetim constante vegetos, & ad expediendum quæ sunt sui muneris nunquam otiosos.

(4.) Ab effectu: Namque aluus tardior vel intercepta, non solum per se molesta est, & naturæ contraria, sed etiam tam in propria culina, quam reliquis morbifica. Vapore enim e fecibus retentis & ipsum caput repletur, & corpus ingrauescit, & ventriculi coctio læditur, atque etiam reliquæ coctiones male se habent. Præstat propterea tam in sanis, quam in ægris, aluum quotidie suum officium facere & deponi, quam moras nectere vel adstrictam esse, & vt signum, & vt causa.

Signum enim est, archei in hac sphæra sua turbati, quatenus non sit, quod debebat ordinarie; signum muneris serpentinarum animalium non procedentis, & actionis sic determinate læsæ. Causa vero consequentium aliorum, siquidem posito vno inconuenienti consequuntur plura. Ideo tenenda nobis via est, quam natura præscripsit, nec ab illa,

quan-

quantum in nobis, declinandum. Illam ſequentibus, omnia facilia & expedita ſunt: contra illam nitentibus, non alia vita eſt, quàm contra aquam remigantibus, teſte *Seneca epiſt. 122.*

CAPVT II.

De *Subiecto.*

HOmo de gleba pingui digito Dei formatus, prouentu terræ mediato atque immediato ſuſtentatus, & ab externis iniuriis defenſus; ſi ſana mente meminerit, quantum in ſano corpore acceperit bonum, pro eximia valetudinis intemeratæ parte reputabit, non diſſimulari ab inteſtinis ſuis originem terrenam, verum ſtato tempore per ductus excretorios deponi recrementa, machinæ noſtræ minus vſui futura: quare hos etiam ſcrutari neceſſarium ad reliqua pernoſcenda, atque vtile futurum exiſtimandum.

Sane non omnino reticeri poteſt VENTRICVLVS, quin ſecundarium, ſive ADÆQVATVM medicis dictum, SVBIECTVM conſtituatur. Defungitur nempe ſua ad nutritionem per appoſita alimenta præparatione, quæ vbi conciſa & contuſa, humectata atque calentia, in fundum ſuum recepit, eadem calore ſuo percoquit & fermento immutat, ſerius ocyus, atque reddit per pylorum, ſeu orificium dextrum & inferius, quæ ſibi deinceps retenta moleſta forent & oneroſa.

Enimuero conſideranda ſunt contenta in ventriculo, prout ſunt confuſa vtilia & inutilia, alimentoſa & excrementitia, fixa & volatilia reſpective, fluida & ſolida ſeu mollia. Fit euaporatio ſubſtantifica, non tantum in humido aqueo, ſed & ſulphureo chyloſo; fit ſucceſſive, ordine mechanico

con-

conuenienti: quæ ſubtiliora ſunt, euaporant citius, quæ fixiora, paulo tardius. Fit propulſio iſta & prouolutio motu periſtaltico, ſeu circumpreſſorio, circulari quaſi, & flexuoſo. Ventriculus enim pluribus pollet fibris nerueis, imo totus ex iisdem contextus eſt, hinc extendi poteſt & corrugari. Extenſus vero a pondere & mole ingeſtorum ſubſtantifico, affectat priorem corrugationem, hinc blanda fit fibrarum dilatatio & amplexatio, blanda & ſucceſsiua earundem conſtrictio. Hinc contenta non tam deſcendunt e ventriculo, quam aſcendunt prius, æquali poſitu laudato orificiorum, per αὐτοψίαν.

Itaque SVBIECTVM PRIMARIVM conſtituunt & appellantur INTESTINA, ventriculus ſcilicet, quoad ſubſtantiam & officium, continuatus, & canales ſerpentini, retortæ microcoſmi curatisſime tubulatæ appenſi: abſoluendo iſti a centro ad circumferentiam, & ad ſummitates ſuas vacantia, quod in principio connexionis ſuæ bono publico occœptum eſt. Iunctis operis in id incumbunt quæcunque inteſtina, *tenuia* æque & *craſſa*, a tunicarum habitudine, externaque mole & capacitate, adde & contentorum conſiſtentia nominibus ſic diſtincta, vt nunquam ceſſet σύγκρισις & διάκρισις corpori ſalutaris, adque noxam præſentaneam auertendam vsque neceſſaria.

Via hæc eſt publica, regia ac ſolennis, duabus portis, & machina organica artificioſisſima, ſuis parietibus conſtans ac munita, ad commeatum omnem neceſſarium microcoſmo inferendum, ac ſuperflua euehenda. Enimuero æque neceſſarium eſt egerere, quam ingerere, mediante inter vtrumque actum digeſtione.

Mirandæ ſtructuræ hæc via perpetuo quidem præſto eſt, ſed nunquam otioſa, non tam tranſitum concedens liberum, quam præuio aduenientium examine, ipſa vectoris ſeu vehiculi

obit

obit officium. Non tam feruntur & pergunt ipſi aduenæ curuli hoc publico, pasſiue ſe habente via, ſed reuera actiue. Simul appellunt, ſphæramque hanc actiuitatis ſubeunt, ipſa immobilia futura, otioſa ac quieta, ſibi relicta, amplexantur hi portitores publici, deducunt, promouent. Currus ipſe viuus & animatus eſt, a prima porta extima ad ultimam vsque prouolutus, isque licet vnus continuitate, ſextuplici tamen velut rotatione gaudens & abſolutus.

Et nihil hic fit præpropere, ſed velut teſtudineo & cochleatim quaſi inſtituto motu. Vt curioſis hiſce paulo inſiſtamus, quæ nunquam digne exhaurire poterimus, liceat vlterius ſtatuere, eſſe hic & inueniri vehiculationem, quæ olim ab Imperatoribus Romanis imperata, a Nerua remiſſa legitur etiam in nummis; debebatur ſarcinis aliisque Imperatorum materialibus deportandis.

Noſtra hæc vehiculatio eſt naturalis, eaque ſolennis, & omni artificio mechanico maior ac ſupereminens, inimitabilis, Deo ſoli Creatori ſummo accepta ferenda, nec vnquam ſatis miranda ac deprædicanda. Perinde fuerit, an vitalem, vel animalem ſuo ſenſu dixerimus, naturalis enim reliqua complectitur ſingula.

Eſt eadem *αὐτόματος*, *ſpontanea*, non tam ſua ſtructura mechanica, ſeu organica non hodie demum, ſed iam olim dicta & reuera habita; quam mouendi & promouendi potentia inſtructa, & durante vita & ſanitate vtrisque inſeruiens. Non eget crasſo modo concepta vel tractione, vel presſione, quamque exhibet tamen & præſtat, ordinatiſſima eſt.

Singularis ſcilicet, nullo cum materiato comparanda, non ſolida, continens ſecum vecta & concredita pondera, *τὸν γόμον*, die Ladung/ quaſi, ſed mollis, laxa viſa & minus oneri ferundo, & tamen nunquam fatigata, in ſtatu naturali, nun-

quam cessans, quotiescunque opus est & indicta vehiculatio.

Quoddi cum mechanica alia componere illam velimus, non solum capax satis est, & vehendis quibuscunque commissis apta, quod cum aliis vehiculationibus habet commune, vectum enim contentum est, vehens continens & secum recipiens, sed & maiori priuilegio gaudens, & vltra illam sphaeram & structuram excellens. Vt verbo dicamus, vel concipiamus potius, quantum assequi possumus, *lumbricalis* est. Aemulatur quasi lumbricum viuum, eumque longissimum, quem motu suo circulari & peristaltico, seu circumpressorio intestinorum hanc vehiculationem exprimere concipimus.

Afferat *Plato* iam suo tempore, vterum esse quasi *ζῶον ἐν ζώῳ*, *animal in animali*: idem longe rectius repraesentare possumus, sano & sobrio sensu, de ventriculo, & eiusdem prolongatis serpentinis vehiculariis. Et hae ipsae, seu serpentum quoque & anguillarum mechanica viua idem confirmat: siquidem & illa viuentia, hanc prouolutionem referentia, huc faciunt.

Via longa est, vehiculatio longa, & tanto magis admiranda & celebranda. Sextuplo enim cum superet, per anatomicam experientiam, corporis ipsius longitudinem, non mirandum est, quod moram aliquam videatur nectere. Imo tantum abest, vt paulatina hac vehiculatione non emetiatur sufficiens spatium, vt potius intra viginti quatuor horas v. g. (si saltim vnam sedem fieri in homine sano adulto trium vlnarum longo ponamus,) octodecim vlnarum spatium emetiri concipiamus, id quod reuera & ipsum satis mirandum est.

Constat nimirum vehiculatio haec, quantum saltim ad nostrum scopum spectat, ex membranis, tunicis, fibris nerueis motricibus, ligamentis circularibus tribus, in colo maxime

con-

conſpicuis longitudinalibus, ſemicircularibus valuulis conniuentibus in tenuibus reperiundis, præter vaſa ſanguifera, chylifera, ſeriduca, biliſera, inſerta ſuis locis, & vſibus eidem actioni appropriatis.

Vti hinc vehiculationem vidimus in concreto, ita via patula eſt & requiritur, vt ſine vllo impedimento proueht queant, & velut ὁμοπραξίᾳ quadam vnanimi & concordi, quæ debent, appulſa prouehenda, & euehenda ad portam ipſam vltimam, vbi exonerationem fieri oportet.

Operæ pretium eſt, ſeorſim quoque paucis perputare ipſa vecta. Hæc vero ſunt partim a priori vtilia, partim a poſteriori inutilia corpori futura: diuerſis quaſi veredis vtentia, diſtinctis item itineribus ſeu locis deſtinata. Noſtræ vero conſiderationi iam ſubiacent ſaltim excernenda, & quidem per hanc viam regiam publicam ſolum, vt retinenda illa vel quaſi, vlterius profecta, proprie huc non ſpectant.

Enimuero craſſiora hæc ſunt, coctionem & extractionem debitam paſſa, velut caput mortuum asſumptorum ciborum quorumcunque, panis & accesſoriorum, carnium, veſcorumque aliorum reliquiæ groſſiores & proportionatæ. Olida ſunt & fœtorem obita, tamdiu vero vitali fotu gaudentia, quamdiu in prouincia microcoſmica degunt, calore fota, ſpiritu quoque non omni deſtituta.

Terrea ſunt maximam partem, non niſi aliquali humiditate gaudentia, quæ mollitiem & ſic mobilitatem fœnerant aliquam, ceteroquin quieta, & compagem ſaltim laxam habentia, facile diuidenda. Sulphurea etiam ſunt, ſed ſulphure impuro cœnoſo domeſtico, ipſoque bilioſo, ſed fermentatione ac mixtione immutato & dulcificato, conſtantia; ſalinis particulis ſilentibus magis, & in ſubdominio verſantibus, mercurialibus tamen aereis quoque interſtincta; omnia ſub

caloris natiui ſeu archei dominio obſequa, non rebellia, nec aduerſa vel reluctantia, torpida & inertia; nullo motu inteſtino ſecundum naturam ſolum gaudentia, ſed ſolo locali quaſi, paſſiue quidem.

Latius hæc proſequi non opus eſt, cedunt tamen eadem in fimum, ad ſtercorandos agros. Habent ſuum vſum etiam ſecundarium, materiæ conformem, vnde medicinæ ſtercorariæ integris libris proſtant; ad fuſionem minerarum iuuandam, & alia. Satis eſt, inutilia corpori eſſe, & ſi non ſecludantur, morbifica, maiori corruptelæ & putredini quoque obnoxia, concluſa illa & morantia, vt vitium capiunt, ni moueantur & hæc.

Tacemus, ex hiſce omnibus Chimiam naturalem, vulgo non agnitam, vel ex hiſce abiectis a poſteriori elucere. Hæc omnia enim laudatam *σύγκρισιν καὶ διάκρισιν* ante oculos ignorantibus ſiſtere poſſunt ad nauſeam vsque, ſeparationem & congregationem vtilis ab inutili. Et ſic ſingula rectius patere videntur, quæ fiunt nobis non cogitantibus a doctiſſima magiſtra natura, ordinatione ſummi Creatoris, inimitabili artificio perfecta, in quibus & bruta idem cum capite ſuo, ſeu principe animalium, habent commune.

Quodſi ſpeciatim illa tangamus, primæ partes ſunt inteſtini *Duodeni*, latitudine a pyloro determinati, longitudine fere duodecim digitos transuerſos adæquantis. Recipit hoc ex dicto ventriculi orificio, longo & obliquo aſcenſu in ſeipſum continuato, maſſam chyloſam magis elaboratam & digeſtam; recipit etiam, per ductum geminum vicinum, alterum ſuccum Pancreaticum, extra ventriculi pomœria menſtrui vicem ſubientem, & ſeparationem vtilium ſequiorum adiuuantem; recipit inſuper per alterum, choledochum illum, bilem, quæ ſale ſuo ſulphureo condituram quaſi adhibet, & eruit intimius

quod

quod boni ineſt, vt pars ſecedat, pars euaporationi diluendo & extrahendo continuandæ faciat. Nempe duo hi humores ſuum vſum quoque habent, vt præter præcipuum illum, jam nominatum, leniter inteſtina ſtimulent, vt aliquandiu putredinem protrahant, & balſamica vi conſeruent, ſingulis illis vehiculationi velificantes.

Confinia forte *Ieiuni*, circa menſtrua hæc, per ductus ſuos inſinuata, reperimus. Eſto tamen in determinando eiuſdem fine operam ludi, locum ſub vmbilicali regione admitti, & eousque nomen ſuum tueri, quoad cum rubedine turgidulum deſinat eſſe; tum demum infra vmbilicum, inferiori parte ieiuno ſubſtratum, multis anfractibus cirumgyratur *Ileum*. Cuius & antecedentium officium eſt, vt recipiant eorundem pori particulas magis euaporabiles & vtiles, adeoque chylus e fecibus ſuis alteretur & eluctetur, & feces ſecernantur, non admiſſæ in ſecundam culinam, ſed in excrementa ſenſim abeuntes.

Iamque alimenta per continuatos ductus prouoluta, ſatis, vt videtur, percocta & depurata, nectare & ambroſia in vſum corporis cedentibus, quippe partibus chyloſis blandis ſulphureis ſub & cum aquoſarum vehiculo exuta, nec niſi ex crasſioribus & pene inertibus terreis reſiduis, ſub recrementorum appellatione venientia, paulatim motu periſtaltico ſuo in craſſa deferuntur, atque exitum affectant.

Flatibus quidem hoſpitium præbet *Cæcum*, proceſſus vermiformis figuram præ ſe ferens; maſſam vero excrementitiam, iuxta leges naturæ eliminandam, *Colon* remoratur aliquantiſper cellulis ſuis capacitatis magnæ, ne qua homini incumbat frequenter alui exonerandæ incommoditas, non aliter ac viæ publicæ modo anguſtiori ambitu conſpicuæ ſunt, modo latius vtrinque exporriguntur; donec ad iusſum mentis

B 3 ſuppe-

ſuppetant ſtimuli, & reſeretur ſuo loco & tempore inteſtinum *Rectum*, ſalua ſic harmonia machinæ totius; quæ clauſis ductibus eo tempore & modo, quo poſthæc inquiremus, grande detrimentum incurrit.

Sufficere hæc poterant, niſi egregie in functione hac primaria explananda *Willisius*, *de medicam. operat. P. 1. Sect. 3. c. 1.* laudandum ſe offerret, cuius ſententiam hic proponere liceat. Inprimis ipſa chyli & fecum moles, pondere ſuo tunicæ interioris fibras nerueas, quibus incumbit, aggrauans, & proinde irritans, iis moleſtiæ ſenſum quendam inprimit; vt proinde ſtatim illæ ſucco nutritio iamiam ſaturæ, & cæteri cuiusque oneris pertæſæ, fibras carneas ad contractiones vermiculares, pro contentis vlterius promouendis inſtigent.

Quando hoc ritu alui contenta, de parte in partem vsque ſenſim protruſa, prope finem coli deſcenderint, quia tunc preſſio ab inteſtini recti parte muſculoſa ſentitur, idcirco motui naturali voluntarius ſuccenturiatur, quo nempe recluſo ani ſphinctere, & muſculis abdominis compreſſis, excrementa foras eiiciantur. Porro huic motui inteſtinorum excretorio, reſpirationis organa nonnihil contribuunt: quatenus nimirum illa ventrem inferiorem huc illuc perpetim deducentia, contenta eius dum ita conquasſant, lente promoueri faciunt.

Imo vt cuique viſceri & parti molli ſuus eſt ſenſus, ita & motus isque elaſticus, ſeu tonus, quale quid ſeorſim in inteſtinis animaduertimus. Liceat hunc, vt hæc concludamus, duplicem potiſſimum in iisdem agnoſcere: (1.) *naturalem*, ſilentem, tacitum, minus ſenſilem, qui ex vitali & animali mixtus eſt. Naturalis eſt quoad intra, per cauitatem patulam & contenta, animalis & vitalis quoad extra, in fibris motricibus ſe exerens & exercitus. (2.) *Animalem*, expreſſum & voluntarium,

tarium, sic in subsidium vocatum; qui in intestino recto seu ano exercetur, circa ipsum actum exercitum in excretione concurrit, nec sine eo secundum naturam peragitur.

CAPVT III.

De Causis.

QVo magis inuiolabiles sunt leges naturæ, quippe transgressione sui certissimam perniciem inferentes; eo vtilius etiam earum tenori inquirendo damus operam, ad ordinem speciosissimæ machinæ vsque conseruandum, & sicubi turbatus vel impeditus sit, illico redintegrandum, quod & in alui adstrictione attendendum.

Cumque occeperimus mechanicam, & artificiosissimam quidem, circa vehiculationem alui excrementorum lustrare, & affectui huic applicare, merito idem & in causis satagemus lustrandis. Vti enim excrementa alui, & vesicæ hinc quoque, vt cum *Helmontio* loquamur, sunt totius & partium, quibus fiunt ac gliscunt, superfluitates, ab intro sui superfluæ atque inutiles, *l. Cust. err. t. 5.* adeoque absolute necessaria eorundem excretio; vix aptius, quam ad vehiculationis modulum respiciendo, hæc possunt illustrari.

Enimuero vt primario considerandus est auriga, tanquam primarius director vehiculi, ita & hic a potiori faciendo denominationem, laudari meretur idem. Adeoque CAVSA PROXIMA & IMMEDIATA assignatur merito elater intestinorum, qui ab initio ad finem in hoc occupatur. Et perinde quidem est, seu generaliori loquendi formula vtamur, nominando naturam, sive speciali, motum intestinorum peristalticum

cum impeditum; præstare tamen videtur, & hac vice nobis arridet magis, notio elateris.

Hoc ipsum enim vocabulum ἐλατὴρ, ab ἐλάω *impello*, *remigo*, dictum, non solum aurigam & remigem notat, sed & vniuersum impulsum & motorem optime exprimit; in horologiis quidem, v. g. hodiernis, spiralibus lamellis constans, in aliis machinis aliter se habens, in animalium vero corpore elater hic est vitalis latius sumptus, vel animalis specialius quoque, a spiritu animali perfecta in condebitis organis vehiculatione, seu promotione ad extra.

In scholis medicis olim aliter paulo hoc expressere, per nomen facultatis, v. g. retentricis & expultricis, inprimis hoc loco. Vtut vero pro deridiculo hodie quamplurimis habeatur hæc philosophandi ratio, & tantum non pro non-entibus reputetur; reuera tamen, si ex natura rerum philosophari velimus, tantum abest vt pro absurdo haberi debeat, sano sensu & genuino accepta expositio, vt potius maxime sit rationalis, & mechanica vitalitati substrata. Nil aliud enim in recessu notat, quam elaterem viuum, seu potentiam, δύναμιν, impulsionem animæ sua mechanica & requisitis instructam, spiritu scilicet, fibris motricibus, neruis, aliisque laudatis concurrentibus, & suum quibuslibet conferentibus.

Patet hoc manifesto, quando omitti hoc opus exercitum, vel exercendum, vocant fieri a facultate læsa, id est, a morbo eiusque generibus, in intemperie, conformatione & vnitate læsa; vt vicissim, si ab errore externo solum id fiat, tanti momenti non sit æque, saltim respectiue & in præsens.

Hinc CAVSÆ MEDIATÆ PROXIMIORIS titulum obeunt, in genere quidem etiam singula ex dictis iam, speciatim vero & κατ᾽ ἐξοχὴν ex conformatione læsa, vno verbo, Obstructio. Hæc ipsa vero iterum, prout latius vel strictius accipitur, omnem

omnem quaſi abſoluit paginam; quem morbum hoc loco & hoc ſymptoma, velut vmbra corpus, ſequitur.

Spectant huc ſeorſim omnes quaſi obſtructionis modi & ſpecies, vt compresſio ab extra, anguſtia, coalitio ab intra, ſubſidentia ipſa & contorſio, aliæque, quæ hinc cauſarum p. n. claſſem ornant præcipue. Vt vero in ordine cauſarum hinc progredi & pergere valeamus, hic ſaltim ſupponemus has ſpecies, in reliquis hinc recenſendis ſingulis facile ſubſumendis & applicandis.

Res nempe ſummatim illuc redit, in alui adſtrictione culpam hærere, vel in motore ſeu elatere ipſo, archeo & ſpiritibus; vel in mobili ſcybalorum congeſtorum farragine; vel viis ipſis, per quas vehiculatio ordinaria & regia fieri debet, obſtructis, nec obſequis atque patulis. Non aliter ac eadem omnia & ſingula concurrunt in vecturis, vel aurigante directore impedito, vel ipſo onere vehiculi & rotis, vel in via remoris obſtantibus. Quotiescunque nimirum vnum vel alterum aliquod ex his concurrunt, & in mora ſunt, alui adſtrictio præſto eſt, quocunque demum modo ſpeciali id contingat.

Sin paulo aliter hæc effari velimus, recepta itidem methodo, ad analogiam mobilium fluidorum aliorum in corpore; referri hæc indiſpoſitio poteſt, quando vitium eſt in humoribus, vel mobilibus h. l. potius, vel in *quantitate*, vel in *qualitate*, quæ duo hinc *motum* diſpenſant quoque.

Sic materia vel prorſus deſideratur, quod non eſſet penitus a natura alienum, ſi perpauca admodum & vtilia duntaxat, atque omni ferme excremento deſtituta alimenta, fuiſſent accepta; vel minor copia reperitur quam ſat eſt, quemadmodum contingit, ſi quis tenuiſſimo victu vtatur, ſiquidem dum pauca alimenta ſumuntur, ſeu ea quæ fere excrementis carent,

pauca ex necessitate materiæ esse oportet, ea quæ tanquam nutritioni inepta per aluum detruduntur. Hinc cum eiusmodi exigua quantitas non facile irritet facultatem expultricem, eadem non nisi post longum tempus excernitur, vbi ex nouis alimentis ingestis maior secum copia fuerit contracta. Vid. *Vidus Vidius tom. 2. lib. 9. de curat. membratim c. 22. p. 477.*

Sic cum humidum sit vehiculum etiam excrementorum, quando hoc deficit, quo tamen ad propulsionem suam impastatas feces esse omnino decebat; arida & condensata redduntur scybala, compacta quasi & globulata. Sic mucus, viscedo & pituita crassior, vniversum intestinorum ductum obducens, qualem *Lipsius* aliquando & alii quidam excreuerunt, internam intestinorum tunicam ceu gluten oblinit, stimulum tollit, & viscíditate sua quasi feces detinet, ne facile versus aluum moueantur. Conf. *Sennerti Pract. med. part. 2. Sect. 2. c. 4. p. 284.* Idem de acido austero, styptico, melancholico valet.

Et sicuti præcipue humores suo loco causæ mediatæ huius proximioris reatum subeunt, ita & eandem modificant & concurrunt non raro *Flatus*, seu vapores, quatenus distendendo parietes intestinorum, & valuulas conniuentes, & tonum fibrarum neruearum iuterturbant. Tale exemplum, præter quotidianam experientiam, recenset *Smetius in miscellan. l. 10. p. 561.* pueri quatuordecim annorum, de tanta alui tarditate conquesti per quinque menses, vt absque clysterum sublutione nihil aut vix quicquam exprimeret; cum abdomine flatibus turgido. Et illi tamen tum vt causa, tum vt effectus se habent, respectiue.

EX CAVSIS MEDIATIS REMOTIORIBVS huc referimus etiam NATVRALES. Disponit ad affectum hunc TEMPERAMENTVM, tum vniuersale siccius, tum proprium seorsim intestinorum.

Ita

Ita qui temperamenti ſunt melancholici, frigidi & ſicci, ob acidum auſterum ponticum excedens, torpidiorem habent vtplurimum aluum, ad vrinarias vias magis diuerſa humiditate; atrabilarii vero, ſeu ſecundi generis melancholici, etiam aliquando, ob ſtimulum acido-bilioſum, altero extremo facile ſæpe mouentur.

SEXVS vterque obnoxius eidem, fœminæ vero, præter alia, etiam grauidæ, ob compreſſionem a fœtu grandiori inteſtini recti, a partu item ipſo ordinarie aliquot diebus aluum deſidem & pigriorem experiuntur, ſurſum quaſi a compresſione vicina paulo dimotis ſcybalis. *Sennertus* etiam *pract. med. l. c. p. 282.* exemplum allegat melancholicæ puellæ, quæ tribus menſibus nihil aluo excreuit; & virginis cuiusdam nobilis, quæ annis amplius octo aluum, vrinam, menſes & ſudores, cum periculoſiſſimis ſymptomatibus ſuppreſſa habens, tertio quocunque die aluum clyſtere proluendo duxit.

Cæterum non iniuſte *Pechlinus*, fœmellas venuſtulas, comptulas, delicatulas, potiorem pulcritudinis quam ſanitatis rationem habentes, incuſat negligentiæ quoad viuendi ordinem, & in ius vocat ob accumulata inde ſibi ipſis non hoc tantum, ſed inſuper quamplurima comitata mala. Quid enim, *inquit l. 1. obſerv. 47. p. 113.* ſi ita victitant vt genio fruantur, & appetentiæ fibulam imponere detrectent, ſi corporis habitum veſtitu illo tam arcto ſemper & vsque contrahant in anguſtias, ſi nec qualitatem, nec quantitatem victus reſpiciant; annon vtique laborare valetudinem neceſſe eſt, & in deterius inclinari? Viuunt tamen ſic, & dum viuant ſpecioſoque colore oſtentare ſe poſſint, deprauatæ valetudinis incommoda generoſo contemptu prætereunt.

Plurimum huc confert & ἰδιοσυγκρασία, cuius rei plura hinc inde leguntur exempla, quæ hic congerere non opus eſt.

Ita *Heerius obseru. 29. p.325.* notauit, quasdam dominas nunquam nisi vigesimo vel serius die, aluinas feces deposuisse, nec quicquam inde incommodi, etiam puerperas, sensisse. Virum item memorat, qui nunquam nisi post vicesimum quartum diem, alui beneficium a puero sensit, alioqui sanissimus.

Memoranda hic & DISPOSITIO HEREDITARIA. Sic virgo generosissima decem annorum, a teneris aluum habebat adstrictam, malo hereditario a matre acquisito, ita vt ordinarie quasi intra tres hebdomadas vix quater illam deponeret. Princeps quidam iuuentutis eodem pacto degebat per plures annos, prius, quam addisceret aluus aliam egerendi rationem.

ÆTAS SENILIS vt siccitate pollet maiori, ita & aluum adstrictam fere habet, præsertim in illis obuiam, qui in iuuentute habuere laxiorem, *2. aphor. 20. & 53.* mutata vel hac ipsa de causa etiam temperie totius in sicciorem, & partium h. l. concurrentium, ipsoque corporis habitu.

EX CAVSIS NON-NATVRALIBVS non parum confert AER. Vt enim calidus, æstiuus, dysenteriæ & choleræ ipsi inferendæ velificatur, ita frigidus & siccus alui adstrictioni. Hinc *Cous 3. aph. 5.* notauit: ἢν βόρειον ᾖ, βῆχες, φάρυγγες, κοιλίαι σκληραὶ γίνονται· *si Aquilo terras perflat, tusses mouet, eueniunt faucium morbi, alui duræ.* Ita nempe vsu venit, vel per nimis longum tempus retineri feces, ac ex hospite fieri quasi incolam; vel demum cum magna difficultate excerni, & siccitate sua negotium facessere. Rationem reddat *Galenus in comm. ad h. l.* Venter inferior dura excernit, & propter temporis constitutionis temperaturam, quæ vergit ad siccitatem, toto corpore exsiccato, & magis ipso ad seipsum trahente quasi eas quæ fiunt ex cibis humiditates; sed & alia ratione, quoniam, cum longiori tempore maneant, & non excernantur, omnia exsiccantur.

Locus

Locus hic est meminisse *Frigoris*, quippe quod ab eiusmodi tempestate producitur, & adstrictionem alui vel de nouo inducit; vel iamdum præsentem auget & protrahit. Modum agendi declarabimus verbis *Vidii*, *l. c.* Frigoris appulsus si aluum constipat, non id ea ratione præstat, quia externum frigus ad intimiores partes penetrans, luti externi instar alui feces sicciores & duriores reddat, prius enim vita deficeret, quam tantum frigoris excessum intimiora viscera experirentur; sed id potius efficit, quia canales constipat, ac reddit angustiores. Frigus enim omnes partes condensat, ac propterea tam musculum, qui est in imo recti intestini, quam totum ventrem constipando, alui duritiem & constrictionem inducit.

Non parum porro confert huc CIBI & POTVS ratio. Vti enim certa intercedit proportio inter assumpta & egerenda: ita necessum est, & hæc se inuicem variare. Quod si enim accedat vel ieiunium, & parca victus ratio, non potest hinc expectari alui egestio alia, quam par est; sin largior sit victus, & non secedat aluus, noxa præsto est quoque.

Sic & quando grossiora assumuntur, terreæ & crassioris substantiæ, panes non fermentati, furfuracei, hordeacei, mucidi, infumata item, exsiccata, sicciora; pro modulo chylificationis seu coctionis, respondet & excrementorum prouentus. Maxime vero, si vehiculum vt alimentorum, ita & excrementorum desit sufficiens, aluum adstringi oportet; v. g. quando parcior assumitur potus, nec satis diluitur hinc, feculentum quod est, vel plurimo absumto etiam alibi humido, cum perpetua, vt ita loquamur, fiat defalcatio per vrinam, per sudorem, & sic porro.

Idem dixerimus de potu & vsu austerorum, constringentium, acerborum & similium, quæ aliunde etiam satis clara

 & no-

& nota sunt. Idem valet etiam de medicamentis, exemplo opiatorum v. g. Visi sunt otiosissimæ alui, qui largiori vsui opii adsueti sunt, ad abusum vsque.

Non minus SOMNI & QVIETIS, seu otii habenda est ratio. In vtrisque enim spiritus non ita sunt actiui, sed obtorpescunt, inde redduntur excrementa stationaria, seu ligatis vna spiritibus per somnolentiam, seu non concurrunt satis ad promouenda corporis reliqui munia; ne de MOTV excessiuo, & VIGILIIS exsiccantibus, dicamus plura.

Imo in regimine EXCRETORVM & RETENTORVM non parum culpæ residet. Vti hinc non minimum ad hæc munia expedienda confert ordo agendorum, ita si extra ordinem suum archeus in sphæra seu laboratorio hoc suo disponatur aliter, alui adstrictio succedit; quorsum facit assueta quasi & imperata retentio. Quidam adolescens in schola huius rei negligentior, cum ad appulsum non auscultaret, nec aluum deponeret, hinc retulit admodum obstinatam obstructionem.

Quantum in excretionibus etiam alui remorandis conferant ANIMI PATHEMATA, curæ, terror, mœror, tristitia aliaque, satis superque notum est. Vtut enim terror & ira aliquiquibus aluum concitasse quoque obseruata sit, ordinarie tamen magis, aliorsum vocatis spiritibus, etiam hic motus iisdem debitus suos patitur manes.

Demum ex causis PRÆTER - NATVRALIBVS faciunt huc morbi omnis generis, vt pauci sint, qui non hunc siue socium, siue pedissequum habeant, vel producant quoque, seu quibus damnosus hic affectus acceptus ferendus. Ita febres ardentes, deliria maniaca, phrenitica, melancholica, paralysis, colica, ileus, affectus hypochondriacus, scorbutus, in exempli vicem sufficere possunt. Seorsim namque intemperies sicca intestinorum, seu frigida, seu calida fuerit, huc

facit,

facit, vnaque sic læuitas, lubricitas consequa, volubilitas & glabrities tollitur; nec non obstructiones variæ, speciatim pori choledochi, siue sine, siue cum ictero. Est enim bilis, velut aloe vegetabilis, determinans & stimulans accessione & confermentatione sua intestina, vnde hoc stimulo denegato segnius procedunt feces alui in suo itinere.

Imo dysenteria ipsa aliquando, cum iam deuicta videretur, hac facie perniciem intulisse memoratur; sicut in *Rhodii cent. 2. obseru. 82.* militi cuidam Patauii dysenteria laboranti, mutuo vtriusque lateris vlcerati contactu, intestina coaluere, vnde venter suppressus tandem mortem accersiit. Ita & ex *Marc. Donato*, partem intestini recti superiorem coalitam, refert *Sennertus l. c.* Cum aluus supprimeretur, nec aliis modis aperiri posset, vndecimo die mortuus est. Corpore aperto, intestinum rectum ita in parte superiore per digiti transuersi longitudinem coiuisse & coaluisse inuentum est, vt vix tenuioris funiculi crassitiem æquaret, vtrinque in confinio intestini partibus in tumorem quendam veluti glandulosum eleuatis. Tantum refert libera esse omnia, & non claudi nisi quæ ad naturæ præscriptum erant claudenda. Tantum denique refert, meatibus probe patulis extima intimis, summaque imis respondere.

Pertinent denique huc ipsi atretæ, imperforati, qui aluo clausa nati sunt, & exitus hinc naturalis non datur, etiam ab ipsa aliquando natiuitate. Et quibus obsessus est idem exitus, siue ab inflammatione, & a tumoribus, tum aliis, tum hæmorrhoidum ipsarum; ab excrescentia item, quod itidem visum est, internis & externis. Quæcunque nempe viam præcludunt, nec portam aperiri concedunt, vel aliter concurrunt ad moram & remoram naturalissimi huius actus, huc faciunt.

Tace.

Tacemus extranea peregrina assumpta toto genere præter naturam, quorsum & nummi ipsi spectant improuide deglutiti, siquidem non tam lateraliter seu in longum transitum sortiantur, quem positum nacti visi sunt sæpius innoxie per aluum redditi; quam in latum, mechanica operculorum ollæ, opplentes pylorum. Tale exemplum obseruauit *Kerckringius Obseruat. anat. 1. p. 1.* in puella quinque annorum, quæ assem argenteum Hollandicum, stuferum vocant, inter ludendum deglutierat, cum obstructione inducta lethali. Probauit hoc non solum prognosi funesta, sed & sectione cadaueris, qua deprehendit nummum illum circulo illi, qui pylorum vndique cingens coarctat, non secus ac operculum ollæ incumbens, omnem alimento ad intestina transitum prohibentem, quod icone illustrat. Tacemus venena propinata, & alia.

CAPVT IV.

De *Differentiis & signis.*

NOn parum refert & DIFFERENTIAS lustrare alui adstrictionis. Hinc ratione GENERIS alia est minor, alia maior; alia constans & confirmata, alia facile mobilis, alia rebellis & contumax. Alia simplex & primaria, alia comitata, alia symptomatica.

Ratione SVBIECTI alia est per essentiam, alia per consensum partium aliarum; alia in ventriculo, alia in intestinis, iisque vel tenuibus, vel crassis magis radicata. Alia in origine quasi, alia in medio, alia in exitu fundatur magis.

Quodque alias de somno & aliis prædicatur, alium esse naturalem, alium nonnaturalem, alium præternaturalem, idque

que potissimum quoad CAVSAS in genere, idem omnino commode applicare licet ad alui adstrictionem.

Ita *naturalis* omnis est interpolata, in sanis alias per diem & noctem semel, vel bis, vel ter, pro diuersitate subiectorum, saltim respondente aluo, reliquis horis intermittente; hoc vero loco, quæ fouetur a causa aliqua naturali laudata.

Imo huc referri meretur naturalis quoque vel quasi, alio sensu, quæ fit de naturæ bene agentis industria, vel alibi occupatæ, quæ hoc munus maxime necessarium differt, boni finis gratia, vt instante crisi, vel critica quasi itidem, in variolarum expulsione, & alias.

Idem de *nonnaturali* valet, quando ex alterutra harum, vna vel pluribus, laudatorum egerendorum ordinem paulo mutantibus, contingit. Alia fit ab errore externo, alia a facultate læsa; imo tot sunt differentiæ quoque, quot causæ.

Præternaturalis denique proprie huius loci est, quæ & a morbo infertur, & ipsa morbosa est, seu lædit, & infausto seminio morbos alios post se relinquit, imo non raro & vrgens fit vel quasi.

Quod SIGNA attinet DIAGNOSTICA, ratione *Generis*, vix opus aliis est pathognomicis, quam sensibus obuiis, ipsaque relatione ægrotantis, dummodo illud Hippocraticum inter *ζητήματα* necessaria non negligat medicus, nec reticeat ægrotus: an aluus succedat. Ita enim vel vno affirmandi, vel negandi verbo, iudicio medici periti vlterius relinquitur, quid facto opus sit.

Ita enim ex circumstantiis relatis, statim colligere integrum est etiam de reliquis. Signa *subiecti* namque, seu affecti loci principalis, erui facile sic poterunt, ex mora, dolore, vel huius absentia, actionibus ventriculi, statu totius & partium simul, magis vel minus affectarum; quæ speciali examine coniunctorum indigent. D *Causa-*

Causarum signa manifestat humorum vel vaporum consideratio, cacochymiæ, antegressorum, assumptorum, coniunctorum; singula e suis loculis applicanda, & considerranda.

Quod PROGNOSIN concernit, ratione SALVTIS & MORTIS, variat illa pro mali huius gradu & modulo. Enimuero ratum est, aluum adstrictam, non minus ac ischuriam, quæ remoueri & restitui nequit, per mechanicam funestam esse & lethalem. Siue hinc ileus sit insanabilis, seu occlusus nec aperiri aptus exitus, moriendum est. Tam necessaria enim vitæ est egestio, quam ingestio.

Vicissim, vt Critica est salutaris, saltim intentione naturæ a priori, ita si intempestiue turbetur, & exagitetur aluus, & hoc perniciem accersere potest certam. Pertinet huc effatum *Coi:* Pruriginosa corpora, *μετὰ κοιλίης στάσιν*, *post alui suppressionem*, in phthisicis, malum; *Coac. c. 3. t. 261.*

Quoad TEMPVS EVENTVS, Producta seu chronica, & quæ consuetudine quasi continuata, familiaris naturæ est reddita, longius negotium facessit; & ægrius cedit, vt mirandum sit, quomodo sufferre natura possit longius tale onus. Acuta contra ea & vrgens, breuiorem concedit moram.

Quæ a defectu ciborum vel potus, seu ab inanitione orta, resarciri potest assumptis, vtrisque sufficienter; quæ ab euacuatione nimia, vel quasi, seu a purgantibus, seu adstringentibus, restitui facilius amat; & sic in reliquis.

Inde vero & aluum intumescere, & flatus, anxietates, dolores, conuulsiones, febres augeri, aliaque consequi, notissimum est; quanquam indemnis etiam & naturalis exemplum recenset *Rhodius*, *cent. 2. obseru. 81.* de nobili Germano corporis validi, qui per dies quatuor & viginti nihil per aluum reddidit, sine omni valetudinis offensa, ventriculo tam firmo,

vt

vt iam pranſus medium capum abſumeret. Puellam nouit *Io. Heurnius, ad Hippocr. de purg. rem. t. 14.* quæ vix ſemel tribus menſibus ad hoc naturæ munus inuitabatur. Et propria manu notauit *B. Ludouici*, quod iuuenis viginti annorum & quod excedit, perdiu & ab ineunte fere ætate adeo obſtructæ fuerit alui, vt ſæpe per ſeptimanas quatuor, quinque vel ſex, eam non deponeret, idque ſine notabili incommoditate.

MODVS EVENTVS ad *ſalutem* eſt, ſi in ordinem redeat & hæc lentiſſima rota, reſoluta aluo, qui vnus ſolus eſt modus; Vt ſi viæ & ductus clauſi denuo aperti, ſi materia euacuanda ſufficienter humectata, & per meatus ſuos rite volubilis ſit, ſi viſcerum & ventriculi archeus amice conſpirent quoad facultates ſingulas, ac iuſto tempore & modo expellant vel retineant.

Ad *mortem* vero vice verſa, ſi reſtitet contumaciter, & nullo artis præſidio mora & remora poſſit ſuſtolli, turbata inde vniuerſi corporis œconomia, donec ſuccumbat tandem archeus, eluctari ex anguſtiis hiſce neſcius, vt miſerabili ſpectaculo vel per ileum excrementa inferiora protrudantur ſurſum, vel aliis ſymptomatibus vitæ pauſa inferatur; facultate ipſa quaſi emoriente.

CAPVT V.

De *Curatione.*

MEdicinæ leges non ad Polycleti immutabilem regulam referendæ ſunt, ſed ad Lesbiam normam, quam pro factorum, perſonarum, ac temporum conditionibus, magiſtratus æquitas commutare ſolebat. Ita *Vinc. Alſarius Crucius de quaeſ. per epiſt. cent. 4. p. 309.* Eſto igitur, quæ per rationem & experientiam ſtatuminata ſunt in arte, vere im-

mota esse & irrefragabilia; non minus tamen certum manet, quæcunque obueniunt subinde ad trutinam appendenda, vt suum pondus cuiuis constet. Constabit id etiam circa alui adstrictionem, vbi, ex METHODI MEDENDI legibus, indicatio curatoria, præseruatoria & vitalis, omne absoluit medendi punctum.

CVRATORIA alui solutionem omni modo expediendam indicat, tum quoad contenta euehenda, tum transitum impeditum, ipsumque directorem elaterem, eiusque torporem excitandum. PRÆSERVATORIA tollendo obstructionum causas, tam fouentes, quam concurrentes, respicit, remouendas illas omni modo. VITALIS intemperiem & indispositionem, vires & robur quocunque modo vrgentes, & attendendas, tonum ventriculi & serpentinarum, & reliqua. Si vero vllibi, sane & hic recepta methodus locum inuenit primario quasi. Lenientia enim & h. l. κατ᾽ ἐξοχὴν vias, præparantia humores, purgantia stimulum respiciunt, corrigunt & alterant.

Sane LENIENTIA sæpissime, omnibus reliquis contra, proficiunt, vbicunque natura magis duci amat quam pelli, vt sic per gradus quasi & successiue omnia concurrant. Sic faciunt huc ex simplicibus velut ordine quodam *aloetica*, *mannata*, & inde præparata.

Ex aloeticis non cruda quidem aloe, sed *pilulæ aloeticæ*, *tartareæ*, *aloephanginæ*, in frigidioribus & pituitosis potissimum, *elixir proprietatis* ipsum, *rhabarbarum* etiam masticatum solum, *rhaponticum*, *pulpa cassiæ*, *electuarium lenitiuum Galeni*, *officinale*, *Burrhi*, & alia huc faciunt. Seligenda inter hæc, quæ siccioribus, quæque frigidioribus, vt diximus, conueniunt.

Talia sunt emollientia, lubricantia, pulposa, *passulæ*, *pruna*, *caricæ*, oleosa, pinguia, *oliuæ*, *butyrum*, ante pastum

inpri-

inprimis sumptum, *conserua rosarum mannata*, *folia sennæ* infusa, decocta, in intritu, per se & cum aliis, *brodium laxatiuum*, *simplex* & *mannatum*. Quædam generosa filia decennis, superius memorata, a pertinaci & hereditaria adstrictione alui, liberabatur sequenti electuario: ℞. *pulp. passul.* ℥iß. *rhabarb. elect.* ʒij. *sapphir. occid. rad. ari ppt. finiss.* a. ℈ij. *sir. de cichor. c. rhabarb.* q. s. M.

Seorsim commendanda ABSTERSIVA, quæ inter excellunt tartarea instar omnium, *cremor* & *crystalli tartari*, *tartarus vitriolatus*, *arcanum tartari*, *tinctura tartari*, quam ad alui segnitiem vel a medicamentorum vsu, vel a natura contractam, mirifice restituere; senibus accommodatissimam, merito laudat *Hartmannus in Praxi;* vt & *Sal Catharticum Anglicum*.

Inter terrea illa hodie non exiguum nomen retulit *terra nitri fixa*, sub magnesiæ albæ nomine, maiori paulo dosi propinari solitæ, pro laxanda aluo. Sed constanti adstrictioni minus suffecerit, ipsis antimoniatis terreis longe inferior, seu alterandi, seu leniendi ratione considerata. Cuiuis tamen liberam relinquimus suam opinionem.

Cum vero fixiores quoque humores non raro rebellem statum inferant, etiam PVRGANTIA fortiora huc faciunt, vtpote duro nodo durum cuneum inferentia, sed proportionata reliquis coindicantibus. Illa vero ex amplissimo penu medico omnia & singula huc recensere, superfluum est. Suffecerit monuisse, humectantia & lubricantia, saltim mixta cum reliquis, & pondus addere maximum, & præ reliquis cordi habenda, vt & prosint, nec noceant.

Vti enim a cane non magno sæpe tenetur aper, ita præsertim hoc quoque casu & affectu sæpe melius est, lenioribus medicamentis in viam & ordinem vocare naturam, quam fortiori stimulo vrgere, purgare & repurgare. Omnia nem-

pe hæc fieri debent μεθ' ἀσφαλείας καὶ εὐφορίας, aurigante natura, & ad eius ductum, normam & modulum.

Cumque reuera dentur sæpius corpora *δυσκίνητα*, ægrius mouenda; vt proportio obtineatur inter indicata, etiam reliquis non iquantibus, ad fortiora deueniendum, non solum media ex *agarico*, *mechoacanna*, *gialapa*, sed etiam fortiora adhuc, *scammoniata*, *turpethina*, *colocynthiaca*, maxime præparata, neque tam in puluere pilulisue, quam cum decoctis & infusis, tanquam vehiculis genuinis.

Deiectio enim, vt cum *Celso* loquamur, medicamento quoque petenda est, vbi venter suppressus parum reddit, ex eoque inflammationes, caligines, capitis labores, aliaque superioris partis mala increscunt.

Sed, ne & reliquorum internorum memoriam negligamus, faciunt huc suo loco & ordine quoque ipsa VOMITORIA. Vti enim purgantia sus & de sunt sororiantia & symbolica, ita etiam in alui obstructione expedienda mutuum hoc officium non denegant emetica, modo non quid contraindicet eadem. Illud scire oportet, verbis *Celsi*, quod ventrem vomitus solutum comprimit, compressum soluit, inprimis qui tarde superuenit. *l. 1. c. 3.*

Ita in adstrictissima aluo *Renealmus obs. 22. p. 15.* exhibuit stomachici gr. xij. infusi in vino rubro, vnde vomuit, & aluum deposuit, idque iterauit cum successu. Fuit vero sine dubio, licet id non nominet, emeticum.

Imo & *adstringentia*, ac ipsamet *opiata*, visa sunt in alui adstrictione, sui generis, aliquando necessaria, vel proficua. Sane in passione iliaca, vbi adstricta aluus & dolores intestinorum, æqua quasi lance librantur & occurrunt, obseruatum fuit, ad vrgentem vomitum iuxta & dolores profuisse vnice anodyna, vnde acquiescens archeus, desu-

per

per propinatis purgantibus pilulis, feliciter aluum expediuit, ægro saluo & incolumi sic reddito.

Vti vero in dispositis ad phthisin & aliis quoque, opiata, ipsaque adstringentia tum alimentosa, vt cydonia, tum pulueres adstringentes, post pastum propinata, alui solutionem procurasse obseruata sunt; ita circa eius obstructionem curandam idem quoque attendendum est: quandoquidem elatere flaccidioribusque fibris roboratis, constrictio prouolutiua in dispositis animatur magis.

Sic & DIAPHORETICA suum usum obtinent hoc casu, quando vel febris, vel inflammatio difflationem exposcit, non vna sola aluum citandi indicatione præualente. Imo & *resoluentia* antimoniata, vt ipsum *antimonium diaphoreticum*, eiusque *magisterium*, secundario licet, aluum reserant. Inter hæc ambigit & ipsum *aurum fulminans*, quod ad aliquot grana IV. V. VJ. assumptum, sequacem reddere aluum assolet, vnaque flatus explodere & resoluere.

Ipsa quoque *mercurialia* in incidendo & fundendo pituitoso glutine plurimum valent, per se quidem lenta, nec dosi maiori æque danda, cum aliis tamen stimulum suum conferunt, & in vnguentis illita quandoque aluum purgant, ad diarrhœam vsque. Adde & *cinnabarina* ipsa, roborandi & fundendi vsu conspicua, cum purgantibus maritata, effectum facilitare.

Quin & *carminatiua*, saltim sociatis operis, huc conferunt non parum. Dum enim flatus resoluunt, & humores digerunt, vtrosque velut carminant, & extricant, displosione hac & feces alui mouentur facilius, & hinc cum emollientibus & purgantibus sororiantur. Ita *anisum* infantum aluum adstrictam laxat; ita *balsamum sulphuris anisatum* concorditer se in hoc gerit, ne alia laudemus.

Ex

EX APERIENTIBVS, quæ ſimul ſunt præparantia quoque longe optima, huc referri merentur *martialia* confermentata aliis, & roborantia, & laxantia. Sic in ſicca forma, *crocus martis* cum *extr. panchymagogo* officium facit. Optima eſt *tinctura martis helleborata*, *anima rhabarbari antimoniata*, & alia. Obſtructionibus enim meſenterii & viſcerum expeditis, alui adſtrictio vel vna fidelia ſublata conſequitur, vel purgantibus & lenientibus via apparatur facilius.

Nominari etiam merentur *thermæ* ac *acidulæ*, vtræque diuerſo licet abſterſiuo ſale, alcalico & nitro-vitriolato, pollentes, eluendo toti quaſi venoſo generi, maxime vero inteſtinorum tractui vniuerſo adſtricto, apprime dicatæ, vna etiam obſtructionibus hypochondriacis ſolenniter congruæ, vt inter vniuerſalia præſidia referri non immerito queant.

Sed miſſis hiſce EXTERNA quoque topica, pro affectu tollendo, ſuccenturianda ſunt reliquis. Inter ea excellunt *Clyſteres*, exoſi quidem *Helmontio*, & quibusdam aliis verecundia intempeſtiua motis, vel præconcepta opinione occupatis; ſed longe vtiliſſimi. Quidam ex Moſchis primatibus, cum adſtrictione alui pertinaci laboraret, funeſta prædicta, niſi dicto ſuadentis medici audiens clyſterem admitteret, mori maluit quam annuere, peruerſo more.

Enimuero vt infuſa & decocta per os ſuperius propinata, ita clyſteres κάτω iniecti, per plurima ſecula inclaruere, longe benignisſimi & tutisſimi, emolliendi, humectandi, laxandi, aliisque ſcopis affinibus conſpicui; dummodo non indicatione inutili, non turbanda aluo intempeſtiue, motus, imprudens medicaſter eosdem ſuadeat, vel ægros etiam inuitos quaſi cogat.

Hi itaque vt longe ſunt notisſimi, ſeu materiam, ſeu formam ſpectes, & applicandi modum, ita iisdem longius im-

morari

morari vix opus eſt. Sufficit ex emollientibus, appropriatis & ſtimulantibus, liquore & ſolutis in eo, ſi conſtent, & præſcribantur. Abſit tamen, vt quotidianum in vſum cedant, & ſic velut adſuetudine quadam, naturam extra ſphæram ſuam vocent. Plura de his, aliisque huc facientibus, legi poſſunt apud *Othonem Brunfelſium*, *l. de artificio ſuppreſſam aluum ciendi p. 230.* & *per tot.*

Clyſteres vero ex *tabaco*, per fiſtulam aeream inſufflato fumo, ſuis autoribus relinquimus, vſu quippe minus receptos; alias vero & ad ventriculum dimiſſus ab ignaris, vel ſtudio quoque aliquando, virtute pollet omnino aluum reſerante, & turbante.

Nec follibus hodie opus eſt, ad flatum in ventrem immittendum, quorum in adſtrictione alui contumaciori iuuamen *Hippocrates* in ileo commendat *l. 3. de morb. c. 15. t. 24.* præmiſſis linimentis, glandibus, balneis, clyſtere, hinc ab immiſſo flatu repetendo denuo, ne *Trallianum* & alios laudemus. Sed huius in contrarium rationes adducit non leues *Craanius l. de hom. c. 12. p. 99.* quæ apud illum videndæ. Idemque dixerimus non ſolum de globis plumbeis, ab *Helmontio* laudatis, *l. de flatib. §. 31.* vel aureis quoque aliquando vtilibus deprehenſis, ſed etiam de mercurio viuo largius hauſto, qui pondere ſuo volubili inteſtina pererrans, compendium faciat clyſteris. Sed vti non tam contorſio ſiue reduplicatio inteſtini adſtrictionem iliacam præſtat, quam inflammatio, ſi audiamus *Riolanum l. 2. enchir. anat. c. 17.* & *Kerckringium obſ. anatom. 42.* & ingreſſus inteſtini in ſeipſum etiam dubius ſit, vtrum ſurſum an deorſum magis fiat, adeoque incertus atque dubius maneat euentus; malumus acquieſcere in probatis magis globulis pharmaceuticis, ſeu *pilulis purgantibus*, ſi malum ſit mobile & flexile, omnium maxime actiuis & proficuis, interius cum ſucceſſu non ſemel propinatis.

Succedanea horum clyſterum,&aliorum ſunt &*glandes*,ſeu *ſuppoſitoria*, quorum quidem vicem ſupplent quoque εὐπόριστα, domeſtica ex lardo, ſapone, radice petroſelini & aliis, & maxime familiaria duplicia, per ſe & cum aliis apparari ſolita, e *ſaccharo* nempe & *melle*.

Duo hæc dulcia reliquorum omnium apex ſunt, & longe optima, leniendi & abſtergendi blande ſine, reſolubilia ſimul facile. Et ſaccharum quidem paulo minus vulgo cognitum, in globulos redactum, cum vel ſine moſcho, Bieſam-Kugeln / forma rotunda, imo in infantibus etiam vulgo a fœmellis applicari vſitata, forma oblonga, Zucker-ſtengel. Primus fere, qui *pilæ ſaccharinæ* huius meminit, nominari poteſt *Heerius obſ. 1. p. 22.* Virdunenſem nominans.

Tutiſſimus eſt huius vſus, more aliorum, oleo oliuarum, vel lini, oblinendæ, vt facilius ſubeat, & reſoluatur. Idem de *melliciis* dixero, ſeu domeſticis ex melle ad duritiem ſpiſſato & formato, vel maiori apparatu additione aliorum roborato. Ex *alumine* vero, & fortioribus aliis, non temere vel admittendi, vel præſcribendi iidem fuerint. In vtrisque nimirum, clyſteribus & ſuppoſitoriis, repetendum & notandum illud vulgatum: μηδὲν ἄγαν, *ne quid nimis*.

Agmen claudant *epomphalia*, *linimenta* & *vnguenta*. Ita hunc cenſum explent oleoſa & pinguia, ſimplicia & compoſita, emollientia, vt *pinguedo anſerina*, vulgo cum *muſcerda* & *pipere* remixta, *butyrum* cum *aloe* medicatum, & cum putamine nucis iuglandis impoſitum, *vnguentum de arthanita*, & his ſimilia. Sic & *balnea* huc pertinent & *inſesſus*, cum ſacculis ex *ſemine lini* conquasſato, & ſimilibus.

Reſtat denique, vt DIÆTÆ quoque ratio cordi habeatur, quæ ſane ad alui ſolutionem, & ordinarium naturalem ſtatum egerendi, plurimum, ſi vllibi in aliis affectibus, confert.

In

In Vitali Aer velificatur temperatus: frigidior enim conſtipat aluum, calidior etiam efferat, bilis excitato ſtimulo, & acidi augmento, & lymphæ alteratione.

Maximum in Natvrali Cibi & potvs poſitum eſt momentum. Cibandum eſt vno verbo, idque ſufficienter, cauendaque inedia, per quam vel maxime euenit adſtrictio. Contradictio hinc fuerit in adiecto, aluum expectare liberam, nedum ſollicitare, ſi nihil ſuggeſſeris, quod portorium ſoluat. Adeoque non ſemel, ſed bis de die, cibum capere oportet, ſi nimis venter adſtrictus ſit.

Quoad ciborum genera huc facientia, quæ aluum moueant, complexus eſt *Celſus l. 2. c. 29.* Talia ſunt panis fermentatus, facilius ſubiens, oleracea omnia, nitroſæ naturæ, lactuca, olus album, naſturtium hyemale, cum carnibus cocta & per ſe, paſſulæ minores & maiores exacinatæ, pruna, caricæ, poma Borsdorffiana cruda mane comeſta, & cocta, aliaue dulcia, pinguia, elixa, iurulenta, ſalſa, diluta, a *Celſo l. c.* quoque tacta, aliaque ſimilia.

Idem dictum eſto de potv. Non ſolum aucta eſca confert huc, ſed & auctus potus, ſeu potiones, vinum, cereuiſia, non nimis ſaturatæ, cibo immixtæ. Quod enim de cibo diximus, idem longe magis valet & repetendum eſt de potu. Tacemus cereuiſias ſeorſim huc facientes, qualis eſt Numburgenſis, & aliæ medicatæ, modo decenter id fiat, & confermentatæ, & nominatim cum ipſamet aloe quoque.

Plurimum etiam conducit motvs ſufficiens, omnes corporis excretiones apprime promouens. Facit etiam huc aucta ambulatio, & contra ea qvies, & vita ſedentaria, prohibenda maxime. In reliquis omnia moderata & conſona eſſe debent.

SOLI DEO GLORIA!

POrta patens esto, quæ toti fœnerat escam,
Ne desit quicquam, quo sine corpus eget.
Porta patens esto, quæ toti incongrua reddit,
Ne restet quicquam, quod male corpus habet.
Nec male vecturæ sit, quæ portoria soluit,
Vnde salus hominis corporis vna venit.
Prospicis his ipsis cura solerte peritus
Artis, & inde Tibi præmia larga fluunt.

Nobilissimo Dn. Doctorando sinceri affectus & gratulationis ergo αὐτοσχεδιασὶ scrib.

PRÆSES.

STrictum laxando naturam corrigis arte,
Et quoque stringendo Tute iuuas miseros.
Artem callenti sic porta aperitur honoris,
Nec Tibi claudentur prosperitatis opes.

Nobiliss. Dn. Ddo omnigenam felicitatem apprecatur

IOH. ADOLPHUS WEDELIUS, D.P.P.
extra-ord. & Med. Prou. Saxo-Vinar.